

7 *In partibus distributionis enunciandis servetur ordo didascalicus :*

Hoc est, id præponatur, quod cognitione prius est. Dices igitur, syllogismus est perfectus vel imperfectus, causa est per se vel per accidens: non contra. Interdum tamen fit secus, quando videlicet de parte principali multa dicenda sunt, de minùs principali per pauca.

8 *In distributione non una tantùm pars nominanda, & altera illius negatione significanda.*

Nam si unam duntaxat partem nominaveris, & alteram, vel reliquas illius negatione significaveris, non videberis propriè explicare partes, in quas dividitur. Ratio est: quia negatio alterius partis non solum non est differentia, ut testatur Aristoteles, sed nullo etiam alio modo propriè pars est, sive componens totum, sive subjectiva toti. Hinc *Scal. ex. 65. f. 1.* docet, differentias rerum constituere species. Non autem constituunt nisi positivæ. Tribus tamen de causis cogimur dividere rem in partem unam, & in negationem alterius partis. Prima est, ut faciamus divisionem necessariam, & quam nemo negare possit. De quâcunque enim re vera est affirmatio aut negatio. Altera est, quia sæpenumero reliqua pars caret nominibus positivis: quo fit ut ad negativa sit confugiendum: ut cùm dividimus substantiam in corpoream & incorpoream, & animal in rationale & irrationale; quia ignoramus veras differentias. Tertia est, si partes, in quas divisio immediatè facienda est, fuerint plures, quàm perspicuitas divisionis ferre possit. Tunc enim omnes præter unam significandæ sunt nomine negativo: ut si dicas, bestiarum quædam sunt pennatæ, quædam implumes. *Fonsæca lib. 4. instit. Dial. cap. 12.* Huc pertinet canon: *Cùm genus per differentias oppositas partimur, semper altera duarum est pura negatio alterius, & nihil significat positivi.* Sub hac tamen comprehenduntur positivæ differentia. Semper tamen affirmatio priori loco ponenda.

An in distributione possit habere locum negatio partis alterius?

Cap. 4. Divisio.

Species perfectæ distributionis sunt duæ, divisio & partitio.

V 2